



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 561 Usque Ad Annum 633

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117832

§.55. S. Augustini Cantuariensis obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66072](#)

Sæculum VII illi ipsi vobis inferent necem, quibus viam
A. C. 606. vitæ & Salutis æternæ monstrare recusa-

tis. Impletum est hoc vaticinium S. Au-
gustino jam diu defuncto, quippe Edil-
fridus Anglorum Rex, cum valido exer-
citu in Civitatem Britonum Carleolum
expeditione suscepit, magnas strages edi-
dit. Primi omnium Episcopi & Mon-
achi jugulati, qui devictorum vitam ab
hoste deprecari audebant. Armatorum
vero mille ducenti interfecti sunt.

§. LV.

S. Augustini Cantuariensis Obitus.

Bed. II. h. c. 3. Augustinus Archiepiscopus anno 604
duos Episcopos Mellitum & Justum
ordinaverat. Mellitum misit in Provin-
ciam Saxonum Orientalium, quos Tha-
misis a Cantiis dividebat. Illius Provín-
ciæ Caput erat Londinum, in quam Ci-
vitatem jam illa ærate mercatores terra-
marique frequentissimi confluabant. Cum
Mellitus in illam Regionem Fidem redi-
xisset, Ethelbertus Rex Londini Eccl-
esiæ S. Pauli Cathedralem, quæ hodie
que stat, ædificavit. Justus in Provín-
cia Cantiorum Episcopus fuit, habuit
que Sedem in Civitate Roffensi, ad Oc-
cidentem, a Cantuaria viginti milliaris
dissita, in qua Rex Ethelbertus ædificari
jussit Ecclesiam S. Andreæ, atque has Ec-
clesias;

clesias , eamque , quæ Dorverniæ vel Sæculum VII
 Cantuariæ extructa fuerat , copiosis re- A.C. 606.
 ditibus donavit . S. Augustinus veritus ,
 ne Ecclesia nova perturbaretur , si vel
 brevissimo tempore sine Pastore esset ,
 credidit , rigori Canonum sibi non esse
 inhærendum , & delectum sibi in Succes-
 forem Laurentium , hujus Missionis ab
 origine Socium , antequam e vita migra-
 ret , ordinavit Episcopum Cantuarien-
 sem . Obiit deinde 26. Maji , quo die
 Ecclesia ejus Memoriam colit , anno , ut
 conjectura est 607. & sepultus est Can- Mart. R.26.
 tuariæ prope SS. Petri & Pauli Ecclesiam , Maj.v.Mab.
 tunc necdum perfectam ; postquam au- tom. I. Att.
 tem dedicata fuit , Corpus ejus in Por- p. 532.
 ticum , quæ Septentrionem spectat , trans-
 latum est , ubi etiam exinde Successores
 ejus sepulti . Beda S. Augustini Epita-
 phium refert in hæc verba : *Hic jacet
 Dominus Augustinus primus Archiepisco-
 pus Doroverniensis , qui a Beato Grego-
 rio Pontifice Romano missus , & Miracu-
 lorum operatione a Deo adjutus Regem
 Ethelbertum Populumque ejus ab Idolorum
 cultu ad JESU Christi Fidem convertit ,
 & postquam in Pace Ministerii sui tempus
 implevit , decessit septimo Cal. Jun. eo-
 dem Rege regnante .*

c. 4.

c. 3.

§. LVI.